



# Disputatio medica inauguralis de variolis

<https://hdl.handle.net/1874/341848>

20

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
VARIOLIS,

QUAM  
PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*  
D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inclyta Academia Ultrajectina  
Professoris Ordinarii, & Ecclesiæ ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Alma  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA honoribus, ac Privilegiis ritè, ac  
legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini subjicit.*

PETRUS MULERIUS, NIC. FIL. ZYPA BATAVUS.

*Ad diem 12. Novembris hora locoque solitis.*



ULTRAJECTI,

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> Lxxxvi.

*Reverendo Doctissimo Clarissimoque* VIRO  
D. NICOLAO MULERIO,  
Theologo summo, in Ecclesia quæ Christo Harderovici Colligitur, ver-  
bi Divini Ministro fidelissimo, Parenti dilectissimo, filiali pietate & ob-  
sequio semper colendo.

*Gravissimo Consultissimoque* VIRO  
D. GERARDO RUYSCH,  
Exconsuli Woerdano, nunc autem apud Amstelodamenses Civi Hono-  
ratissimo, Spectatissimoque, Amitæ meæ Marito dilectissimo æternum  
honorando.

*Prudentissimo Spectatissimoque* VIRO  
D. JACOBO ELZEVIER,  
Mercatori apud Delphenses summa fide conspicuo, Materteræ meæ Ma-  
rito, plurimum venerando, atque amore prosequendo.

NEC NON

*Clarissimis, Doctissimisque* VIRIS  
D. JACOBO VALLAN, M.D.  
In inclyta hac Academia artis Apollinæ Professore Celeberrimo, Pra-  
ctico expertissimo, studiorum meorum Promotori fidelissimo Præcepto-  
ri benignissimo æviternum honorando.

D. JOHANNI MUNNICKS, M.D.  
In hoc Celebris Athenæo Medicinæ Anatomæ & Botanices Professore Or-  
dinario, practico felicissimo, Promotori ac Præceptori suo dilectissimo,  
Fautori summo, maximo semper honore prosequendo.

*Hanc disputationem Inauguralem gratitudinis  
ergo dedicat.*

PETRUS MULERIUS,  
*Auctor.*

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLIS.

THESIS I.



Um mortalis generis humani Corpora non solum multis diris horrendisque, miseris à prima nativitate ad ultimum usque vitæ terminum afficiantur, verum etiam nec in utero fontia degant, jure mihi liceat cum Poëta canere,

*Quid sit nostra etas morbis oppleta  
malignis.*

Quoniam igitur quamcumque ætatem infinitis penè morbis obnoxiam esse frequenti nimis experientia (proch dolor!) compertam habeamus, illamque protinus ex uno in alium jactari,

*Incidit in scillam qui vult vitare charybdim*

Vix cognovi qualem ex tanta nimis uberi copia materiam mihi pro ingenii tenuitate expendendam compararem; cumque pleraque morborum genera animo volverem atque ex his quædam meorum esse virium, nec instituti probe conscius essem; affectum tamen elegi, qui ætatem puerilem ut plurimum infestare solet, *variolas* puta; cum sit affectus hisce in Regionibus adeo familiaris, ut vix ullus hunc sibi connatum evitare valeat. Ut itaque istius materiæ describendæ initium faciam, ordinem spectans ducor primo ad *Etymologiam* vocis *variolarum*, quas alii deducunt à *varis* qui sunt pustulæ exiguæ in facie erumpentes; aliis à *variando* potius placet, eo quod cuticulam variat, non solum nitorem ac lævorem, specimina quædam elegantia, imminuendo ac sapissime tollendo, verum etiam inæqualitates ei interdum

4 A DISPUTATIO MEDICA

inducendo, ac sæpe quasi cauterio illam tactam corrugando: græcis dicuntur ἰζανθιματᾶ, nostratibus de *Kinderpockjes*.

I I.

*Sunt autem variolæ pustulæ in cute conspicuæ febre continuâ malignâ comitata, ob sanguinis peculiarem effervescentiam excitata.*

I I I.

An vero hic affectus sit novus, an autem veteribus fuerit cognitus quæritur? ego autem brevitati studens huic quæstioni me non intermiscebo, sed curiosum dimittam ad *P. Forest. lib. 6. observ. 41. in scholiis pag. m. 192. & seqq. uti & River. lib. 17. sect. 3. cap. 2.*

I V.

*Pars affecta seu subjectum variolarum potentissimum est cutis superficies; non raro etiam omnium internorum musculorum, viscerum, solidarumque partium extima pars; historiæ namque testantur, quosdam ab interitu dissectos, quibus Hepar, Lien, Pulmones omniaque interiora haud secus ac cutis sordissimis pustulis manantibus scaterent. Historiæ videri possunt apud Fabricii. Hildan. cent. 4. observ. 55. & 56.*

V.

*Differentia* desumuntur vel à contagio quando nimirum variolæ epidemicè grassantur; vel cum à peculiari sanguinis & humorum diathesi, ex 6. rerum non naturalium abusu, orta, sine ulla aëris malignitate oriuntur; atque ex istis prædictis rebus non naturabilis, excitatæ variolæ sunt mites, benignæ nullaque labe stipatæ: notum enim est, quosdam in eadem domo degentes & eodem victu utentes in variolas incidisse, quamvis alibi non reperiantur; uti etiam quosdam terrore affectos in variolas incidisse; nolo tamen negare adesse frequenter peculiarem aëris dispositionem. Cæteras variolarum differentias enarratis causis subnectemus.

V I.

Jam proxime incumbit hujus morbi causas enarrare, quod commode absolvitur; exponendo vid. causam Antecedentem s. προεγεμένον; qua prædispositione homines omnes & soli huic morbo obnoxii redduntur 2<sup>do</sup>. Causas Procatarticas s. evidentes, quibus hæc

I N A U G U R A L I S. 5

hæc diathesis in corpore existens modo citius modo ferius in actum deduci solet, & 3<sup>o</sup>. causam continentem; sc. quo modo sanguis humoresque præternaturaliter effervescentes per modum criseos ad cutis superficiem propelli ibidemque hæere soleant.

V I I.

*Causa ἀπορροῦ μύκων* s. *Antecedens* secundum meam opinionem debetur vel impuro sanguini materno singulis mensibus Catameniorum fluxu evacuari solito; quoniam autem tempore conceptionis & fœtus gestationis menstrua desistant, facile concipere datur aliquid istius fermenti uterini (quo mediante stasis periodicis oborta effervescencia sanguis impurus per naturalia loca foras pellatur) fœtui, sanguine materno, nutriendo inspirari, quod cum sanguine in fœtum traductum ac in speciali latibulo absconditum latens tam diu ibidem hæret donec à causa quadam procatarctica irriteretur, excitetur & in actum deducatur.

V I I I.

Ex illa hypothese clare patet cur laborare variolis sit proprium omni homini, illique soli: *dico omni homini*. Nam etsi quispiam sit ab iis per totam vitam immunis, non inde certo concludendum, illum nunquam variolis affectum fuisse; posset enim utero adhuc conclusus illis laboravisse; experientia namque testatur, sæpe deprehensum prægnantes maturos partus edidisse hæc lue perusos, imo testatur *Joh. Rhod. cent. 3. observ. 83.* puerum in utero materno variolis laborasse: nolo tamen ita obstinate illud statuere, quasi semper semel saltem illis affici deberent; posset nimir. illa impuritas vel labes per alia loca difflari, uti per morbum aliquem &c. sed illud est rarum naturæ inventum. Dico quoque *soli* quia illud fermentum menstruens soli generi humano fœminino, minime vero brutis utpote naturaliter non menstruantibus, connatum est.

I X.

*Vel causa Antecedens* debetur humori vel fermento alicui præternaturali, hic vel illic, in privato quodam corporis loco, latentem, à chylis cum sanguine per transeunte continuo foto, quod fermentum eodem plane modo in actum deducitur ut antea dictum, nimir. à re quapiam non naturali, inter quas primum locum meretur peculiaris aëris respectu istius fermenti dispositio

## 6 DISPUTATIO MEDICA

sed antequam ad illa expedienda ulterius progrediar operæ præ-  
 tium videbitur chylum ejusque chylicationem paucis investi-  
 gare, quæ est cibi potusque in ventriculo fermentatio ac di-  
 gestio ope triplicis fermenti ibidem concurrentis, nimir. salivæ  
 cibus deglutitis permixtæ, reliquiarum præcedentis chyli in fer-  
 menti naturam ex altatarum & denique ope fermenti cujusdam in  
 glandulosa interioris tunicæ ventriculi superficie è sanguine ar-  
 terioso & spiritibus animalibus, secreti: quodcumque itaque di-  
 gestum ac fermentatum est, ope motus ventriculi peristaltici &  
 pressione circumjacentium partium proxime per pylorum in Duo-  
 denum depellitur, ubi nam, concurrente bile, succo pancreatico,  
 uti & fermento in glandulis *Peyerianis* secreto, primam in œcono-  
 mia animali patitur chylus excrementis adhuc confusus efferves-  
 centiam, qua chylus lactescens per totam minorem intestinalem  
 fistulam à crassioribus cibi potusque particulis separatur, simul-  
 que motu intestinorum peristaltico in orificiola vasorum lacteo-  
 rum protruditur, quæ infundibulorum more in cavitatem in-  
 testinorum hiant: per quæ vasa, primi generis dicta, plurima  
 per mesenterium dispersa decurrit in glandulas ejus, ubi primam  
 suscipit alterationem; chylus jam lymphæ dilutus ulterius pro-  
 pellitur in orificiola majorum surculorum lacteorum, & hinc  
 in chyli commune receptaculum, interdum sub ultima, in-  
 interdum penultima dorsi vertebra, situm. Ex quo porro pres-  
 sione abdominis, Diaphragmatis, & lymphæ tum in glandu-  
 lis mesenterii tum partium inferiorum genitæ pertranscuntis in  
 ductum chyli ferum propellitur, qui sursum per Thoracis ver-  
 tebras sub *Æsophago* obliquo tramite in latere dextro, hinc  
 in sinistrum ascendit, postea vero recto ductu hinc inde fa-  
 cta bifurcatione, pro ut natura varie ludit, supra vertebra  
 ingreditur venam sub claviam vel axillarem sinistram, quo-  
 nam in loco prius per pressionem aperta valvula sanguini ad ve-  
 nam cavam descendentem & sic ad dextrum cordis ventricu-  
 lum ruenti, commiscetur, cum quo lege circulationis per to-  
 tum corpus movetur, ut tandem in sanguinem laudabilem cæ-  
 teris requisitis bene sese habentibus commutetur. Hisce præ-  
 missis patet cibi potusque naturalis in laudabilem sanguinem  
 transitus; de præternaturali vero transitu chyli in sanguinem,  
 quippe

quippe qui millenis modis fieri potest, nil dicere hic præstat.

X.

Ut itaque ad scopum revertamur; Consentaneum videtur, quod chylus sanguinis cæterorumque humorum Auctor varias subeat mutationes tum propter incongruum aliquod fermentum, tum propter aëris peculiarem constitutionem, tum propter varium materiæ mundi subtilissimæ influxum, quæ prout varia sunt, chyli mixturam varie afficiunt, & hinc patet in formatione fætus, ut & tempore nutritionis post hominis ortum, chylum pro varia prædictorum requisitorum dispositione, materiam acquisivisse peculiarem, quæ in partibus peculiaribus abscondita longum ibi tempus potest latere, donec a re quapiam non naturali, præsertim aëre mota, ad sanguinem vehatur, & sic in actum deducatur; sub aëre intelligo, vel ejus malignam vel peculiarem dispositionem, vel ejus subtilissimam partem & materiam primi elementi, quæ, quamvis prioribus semper adesse debeat, posset tamen sola varie mota, & vario modo sese habente subjecto, variolas producere. Notum enim leviter in chymia versato, materiam mundi subtilissimam variarum fermentationum & effervescentiarum, pro vario ejus influxu propter variam subjecti dispositionem, esse causam. Hisce ita judicatis non inficias ibit aliquis *variolas* aliquando esse benignas ac boni moris, aliquando malignas & mali moris.

X I.

*Causæ hujus morbi Procatarctica vel evidentes* sunt 6. res non naturales, & quidem præsertim hæ quatuor, videl. aër, cibus & potus, animi pathemata & motus, quibus semina hujus morbi commoventur & in actum deducuntur.

X I I.

*Aërem hujus morbi procatarxin* esse, & quidem frequentissimam ostendit duplex aëris antea memorata dispositio, ut & fermenti respectu materiæ primi elementi, inter quas dispositiones frequentius tragædias ludet malignus seu contagiosus aëris habitus: uti docemur a variolis per has illasve Regiones epidemicè tempore veris & autumnii potissimum licet, interdum æstate, & rarius hyeme vagantibus; qui aër ita Contagiosus sive in-  
spira-



## 8 DISPUTATIO MEDICA

spiratione sive immediato contactu cum sibi admixtis effluviis seu miasmatis e corpore infecto continuo exhalantibus, à corpore sano susceptus ac postmodum sanguini communicatus, ita agit in sanguinem, ut & peculiari modo in morbi semina, quæ, cum aëri contagioso admodum sint heterogenea, morbi hujus Ideam disponunt. Si autem morbi semina non radicitus e latibulis suis expellantur, sed continuo foveantur, & de novo accrescant, non mirum est quosdam reperiri qui bis terve *variolis* corripiuntur. Insuper hujus morbi Procatarxin constituit *peculiaris aeris dispositio* nulla communi labe Infecta. Insuper, procatarcticis causis annumerari debere diximus *alimenta peculiariora*, quibus utentes plures in eadem domo in variolas non raro incidunt, quamvis illæ alibi non ita observentur. Post *crapulam* quoque quosdam in variolas incidisse experientia interdum testis est. Causa evidens non nunquam deducenda videtur ab *animi pathematibus* peculiaribus, uti terrore, metu, abominatione, ira, gaudio &c. A *motu* denique *nimio*, ut ab immodico exercitio procatarxin peti debere interdum cogitur medicus, cum facile nimio sanguinis motu semina hujus morbi promi valeant.

## X I I I.

*Causa Cominens* autem haud inepte censentur particulae acres & acidæ sanguini admixtæ, quæ cum sanguini valde sint inimicæ, ejus constitutionem plane pervertunt, ita ut vario materiæ primi elementi in hæc particulas heterogeneas influxu oriatur inordinata illa effervescencia, Febris synochos dicta, modo intensior modo remissior: quæ tam diu perdurat donec facta sit commoda impurarum particularum a puris, separatio, quam sequitur tandem remittente febre particularum impurarum, videlicet acrium & acidarum, per modum imperfectæ crisis ad habitum propulsio; subsistentes vero ac hærentes sub cuticula, utpote minoribus quam cutis poris, prædita, particulae illæ impuræ, cumque non habeant quo ulterius progredi queant, & aliæ alias insequantur particulas, necesse habent cuticulam in moleculas ac tubercula elevare; & quoniam sanguis particulis istis impuris imbutus, non diu valeat in eodem statu permanere, morâ magis-

gisque acrior acidiorque factus in pus convertetur necesse est juxta verissimam experientiam Hipp. aph. 20. sect. 6. *sanguis in cavitationem aliquam effusus in pus converti necesse habet.*

## XIV.

Quæri hic posset, cur in facie maxime erumpant *variolæ*? ratio videtur in promptu, videlicet quia pori in cuticula faciei ac manuum sunt angustiores propter frigidum aërem continuo has partes ambientem: cum e contra cuticula in aliis corporis partibus propter integumenta, immediate à frigore non tam facile afficiatur, quapropter ob poros magis patulos per sudores facilius in illis partibus diffluit variolarum materies.

## XV.

*Differentiæ variolarum* desumuntur vel à *substantia*; ratione cujus aliæ sunt magis minusve serosæ, pituitosæ, biliosæ &c: vel à *quantitate*; ratione cujus dicuntur majores vel minores, plures aut pauciores; vel à *qualitate*, ratione cujus aliæ sunt majore vel minore acrimonia aciditate, vel faldedine præditæ; adeoque aliæ sunt rubræ, albæ, lividæ, nigræ &c. vel à *superficie*; ratione cujus, aliæ sunt magis minusve altæ aut superficialiæ; vel à *tempore*; ratione cujus aliæ citius, aliæ tardius erumpunt, & suppurantur; vel à *loco*; ratione cujus aliæ cutem tantum occupant, aliæ etiam partes internas invadunt.

## XVI.

*Quoad signa Diagnostica*: primo inquirendum ex agro, num variolis laboraverit, nec ne: inter signa verò quæ tempore variolarum epidemicè grassantium suspicionem præbent sunt sequentia: primo invadit *febris* continua *synochos* dicta, modo intensior, modo remissior, deinde capitis & lumborum & præsertim *dorsi* dolor, quod signum tempore *variolarum* epidemicè grassantium tantam futurarum variolarum suspicionem præbet, ut fermè audiat nomen signi pathognomonici: adhæc magna anxietas & inquietudo corporis, pandiculationes & oscitationes crebræ, pruritus corporis, nariumque, sternutationes frequentes, tussicula sicca, rubor faciei & oculorum, gutturis dolor, oris siccitas & fitis, somnolentia gravis, ut & inquieta, deliria, palpitatio cordis, nausea, alvi fluxus, to-

tus habitus mollis peculiare fere est signum: At infallibile signum est ipsarum variolarum proventus. Si quis plura desiderat, adeat *P. Forest. lib. 6. observat. 44.*

## XVII.

*Quod attinet ad Prognosin.* Variola diversis temporibus magis minusve sunt contagiosæ & malignæ, & diversos concipiunt, modo pueros, modo adultos, hisque magis periculosæ quam illis. Aliquando nullo modo sunt contagiosæ, adeo ut nulli moriantur; adeoque hæc ita distinguere, Medici multum interest. Salutem sequentia signa præfagire possunt, quæ tempore nullius malignitatis adsunt, quæ cito & facile erumpunt, si post eruptionem febris aliaque symptomata omnia cessent, aut admodum imminuantur, & maxime si variolarum exitum notabilis hæmorrhagia sine diminuto virium robore præcesserit, variolæ primum rubræ, dein albæ, molles, rotundæ, fastigiatæ, solam cutem non autem partes subjectas & internas afficientes, si brevi suprantur, quod plurimum decimo circiter ab eruptione die accidere solet.

## XVIII.

Contraria signa demonstrant exitum forsan fore lethalem: febris scilicet magna non imminuta post variolarum eruptionem, horrenda supra naturam suam symptomata, præsertim si vires derepente imminuantur, maligna aëris dispositio, difficultas respirandi, alvi fluxus: malum quoque denuntiant variolæ tardè erumpentes, depressæ, quæque ubi jam egressæ sunt statim evanescent, dum partium tumor remittitur, nimir. ab impedita particularum noxarum secretionem & secretarum expulsionem; item si in medio concidant, aut macula nigra appareat; porro si virides, lividæ aut nigræ sint: vomitus, singultus, & convulsiones, item si homines adulti cacochymici iis corripiantur. De urina vix quicquam certi statuendum censeo, quoniam sæpe sanorum urinæ non est dissimilis.

## XIX.

*Curacionem* recte quidam dividunt in *Prophylaxin* & *Curacionem ipsam*. Ad *Prophylaxin* quod attinet, illa indicat impedimenta primo esse removenda antequam quatuor morbi tempo-  
ra

ra adfunt, nimir. principium, augmentum, status & declinatio. Impedimenta rectè in *Prophylaxi* tolluntur Cura Universalis, videl. venæsectione, & purgatione. Circa venæsectionem notandum, quod illa non fit instituenda, nisi prius circumstantias probè perspectas habeamus; videl. an ea conduceret, & facile eam corpus ferat secundum *Hippocr. aph. 2. sect. 1.* illam indicabunt corpus plethoricum, ætas firma, robur, & solitæ evacuationes suppressæ; illam respuunt corpus cacochymicum, ætas puerilis, & virium prolapsus. Quoad purgationem, illa lenis conducit, si nempe nulla introducta sit sanguini ebullitio monente *Hippocr. in aphorif. 29. sect. 2.* his verbis, *incipientibus morbis, si quid movendum videtur, move, cum vero vigent quiescere prestat.* Illam itaque commode absolvent *hiera picra*, quandoque & ejus infusio, aut *pruna cocta*, *cassia recenter extracta*, *manna*, *syrupus rosarum laxativus*, & cætera leniora in primas vias agentia. *Vomitum* autem annuntiant nausea, & *faburra* ventriculi.

X X.

*In Curatione ipsa* quando jam quædam signa futurarum variolarum adfunt, probe circumspiciendum est ad morbi tempora, illa ingeniosè à quibusdam dividuntur in tempus ebullitionis & variolarum eruptionis. Tempus ebullitionis quatuor diebus ut plurimum perficitur, ita ut primus dies principium statuatur, secundus augmentum, tertius status & quartus declinatio; tum enim *febris* & alia symptomata remittere solent; at principium exitus variolarum est ipsemet dies quartus; augmentum in septimum protrahitur; status ad undecimum; declinatio ad decimum quartum, quo tempore variolæ exsiccantur sed illa tempora ubique & in omnibus non ita exactè observantur, sed ratione loci & individui multum variant.

X X I.

*Tempore ebullitionis* probe ad tres hæc indicationes danda opera, ut nimir bona fiat secretio, secreti expulsio, & tandem ne expulsum rursus in declinatione retrocedat. Cum autem critica illa separatio sit introducta, ea est moderanda, leniterque promovenda: Ubi autem natura sufficienter suo munere debito

12 DISPUTATIO MEDICA

fungatur, medicum agere spectatorem oportet, & quidem juxta sententiam *experientissimi Hipp. aph. 20. sect. 1. qua judicantur & judicata sunt perfectè, neque medicamentis, alijsve irritamentis innovato, sed finito*, attendatur solummodo ut leviter insensibilis transpiratio continuetur, & ne æger nimio calore cubiculi aut lecti obruatur, vel si aliquid patiens petat, sufficiet decoctum ficuum, vel veronicæ cum liquiritia, vel raparum.

XXII.

Cum vero natura deficit, Medicus ut fidelis Minister succurrat, seduloque respiciat ne quid detrimenti œconomia patiatur, investigando quænam sit impedimenti causa, si enim ob cutis densitatem, accidat (quod non raro accidit) quo minus diaphoresis promoveatur, emollienda, & ejus pori aperiendi; si autem humor in causa sit, stimuletur sudoriferis.

XXIII.

*Tempore eruptionis*, nimir. cum jam variolæ incipiunt prorumpere & natura jam viam monstrat illa ulterius est sollicitanda secundum illud *Hipp. que ducere oportet, quo maxime natura vergit per loca convenientia, ei ducere oportet*, quam ob causam studendum ut blanda diaphoresis in sanguine continuetur, hanc operam sufficienter absolvit, *decoctum ficuum in cerevisia*, quibus illud exhiberi nequit iis non male *ficus comedenda* offeruntur, sed illud de ficibus notandum, quod nullo modo sint exhibendæ si Patiens laborat alvi fluxu: si autem hoc modo variolarum eruptio non procedat, exhibeatur leve sudoriferum & alexipharmacum. In hunc censum occurrunt omnia alexipharmaca & Cardiacæ modo non sint nimis fortia, qualia sunt *rad. faniculi, apii, dictamni, scorzoner, pimpinell, sol. scabios., scord. capill. vener. flor. Calendul. Croc. &c. ut & C. C. ust. lapis bezoar. Orientale, Corallia, &c.* Etiam plurimum hic valent omnia antimonialia; ex his variæ, pro re nata, possunt confici formulæ; v. g. *℞. theriac. a. diascord. ʒj.*

*C. C. Philosoph. præparat. ʒj.*

*Croc. gr. v. m. f. bolus.*

Si vero sit infans detur tantum *pulvis croci ex gr. vj, vij, aut viij. Cui aliquid C. C. Philosophic. præparat. addi potest.*

Pro

Pro ditioribus talis potest præscribi pulvis

℞. *croc.* ℥℥.

*C. C. philosoph. præp.* ℥j.

*Lap. bezoard. Orient. gr.* vj.

*m. f. pulv. no. iij. per intervalla quatuor aut quinque horarum sumendi. vel*

℞. *Croc. gr.* xvj.

*antim. diaphor.* ℥j.

*Lap. bezoar. gr.* vj.

*M. f. pulv. in iv. doses dividend. quorum quotidie ij assumat.*

Alii usurpant decoct. solummodo ex. *C. C.* Hæc omnia medicamenta eruptionem variolarum valde (teste experientia) promonent, sudores movent, & malignitatem expellunt.

Hodie bono cum successu vulgus utitur *cerevisia tenui in qua suspendit stercus ovillum, quam pro potu ordinario exhibet.*

Si *Variola* vehementius sunt expellendæ utimur *stercore caballino in vino rhenano cocto, & post 2. 3ve horas expresso, sicque exhibito.*

Ad sudores continuandos præscribi quoque potest talis mixtura

℞. *Aq. diaphoret. simpl.* ℥iv.

*Sal. card. bened.* ℥j.

*Syrup. ejusdem* ℥℥. *M. de qua singulis semi horis utatur patiens cochleari.* Si adsit nimia alvi adstrictio, adeo ut inde aliquid mali fit in metu, illa solvi potest *clystere emolliente, vel suppositorio ex melle & sale communi, verum enim vero his remediis non temere utendum, neque alvi adstrictio in variolis facile metuenda est.*

Si *diarrhæa* adsit illa omni modo est sistenda, in hunc finem conducit *decoctum tormentil. additis pertinacioribus, vel tale alexipharm. adstring.*

℞. *Conserv. rosar. rubr.* ℥j.

*mir. cydoneor.* ℥℥.

*diascord. Fracast.* ℥ij.

*Corall. rubr. præp.*

terr. sigillat. a. ℥i℥.

syrup. papav. errat. q. s.

m. f. conditum.

XXIV.

Tempore augmenti eruptionis si maturatio bene procedat nil exterius est applicandum, sin minus, maturatio earum promovenda videtur fomentis, vel linimentis, qualia esse possunt ol. amygdal. dulc. rapar. juscula vervecina pinguis, axungia humana, porcina aut sequens ungu.

℞. vini alb. gallic.

butyr. insuls. a. ℥j.

Salv. hortens. mj.

Coq. ut decet lento igne ad vini consumptionem usque; coentur & fortiter exprimantur & f. s. a. unguent. quo tota facies madida tenui inunctione est servanda. Quidam hic laudant guttas aliquot lardi forcipe ignito assati, in aquam rosac. decedentes, quas condensatas cum ungu. rosac. variolis inungunt. Hic plurimum valet si lana carmolina totum corpus tectum servetur.

XXV.

Tempore status eruptionis insignis oritur quaestio inter Medicos an Variolæ sint aperiendæ, nec ne? ad quam sic respondeo; si sint admodum magnæ, simulque pure repletæ & materia admodum sit corrodens, simulque occuparint partes nobiliores, possunt aperiiri factis parvis foraminulis, ne aër frigidus in puncturam nimis irruat. Si autem sint parvæ, & pure non ita turgeant, non perforare præstat; sed naturæ committendæ; possent tamen iis imponi vini gallici vappa. Si autem aridiores sint, plumulâ inungatur ol. amygdalarum dulc.

XXVI.

Tempore declinationis, id est, si variolæ jam exsiccati incipiunt, cavendum ne scalpantur, sed tam diu relinquantur donec sponte decidant. Si variolæ cicatrices reliquerint in gratiam virginum & Muliercularum quæ pulchritudinis conservandæ sunt studiosissimæ, earum reparationi sedulo est incumbendum; cutem tamen in integrum restituere oleum & operam esset perdere, quæ tamen cicatrices fœdas imminuunt sunt omnia, quæ cutem nutriunt

triunt uti *oleum ex vitellis ovorum, serum vervecinum recens, liquatum*, perquam hic conducit *pinguedo anguillarum in veribus ligneis assatarum, ut & ung. Thesi xxiv. descript.*

## X X V I I.

Oculis variolis obsessis succurrimus *Collyrio ex ag. plantag. rosar. lacte muliebri; aut tantillo croci addito: vel succo ex cherefol. confuso & expresso, aut addita fœnicul. aq. tepide cum linteis oculis applicat. vel tale conducit.*

℞. aq. plantag. euphrag. a. ʒj.  
camphor. ℞.

croc. gr. iij. m.

Si ab Ichoribus oculi occludantur *fomentatio ex decoct. camomill. & semin. fœnugrac. vel cum lacte dulci tepido, conducit, ut Sic. apertis oculis aqua in iis contenta effluere queat.*

## X X V I I I.

Si variolæ fauces occupent, eum in finem conducit *Syrupus diamorion, & auriculæ judæ cum melle. Si incrementes variolæ fauces nimis obstruant convenit Gargarisma ex decocto ficuum vel raparum vel serum lactis ovilli ut citius maturescant, postea vero de tali vel simili syrupo lingendum.*

℞. Syrup. hyssop.

iussilag.

mell. rosac. a. ʒj. m.

## X X I X.

Ad nares a pustulis præservandas, acetum sæpius est olfaciendum, aut nodulus ex santalo & camphora, aceto rosaceo, intinctus naribus idem admovendus; aut oleo amygdal. dulc. fomententur.

## X X X.

Quoad dictam: aer sit calidiusculus, (ut cutis pori aperiantur) minime ad frigidum vergens, ne adiapneustia, materia intus percussa ægrum de medio tollat: tempore brumali optimè ægri decumbunt in cubiculo parvo luculentis ignibus calido, & stragulis bene cooperti, ut vero perspiratio insensibilis continuetur, in lecto detinendi; involucrisque rubeis involvendi, quæ ad variolas promovendas magnopere juvare experientia probat. At



notandum hic venit indusia aliaque linteamina non esse mutanda, antequam plenè maturæ sunt *variola*. *Victus* primo sit tenuis; ubi vero humoris eruptio facta est & mitigata sunt symptomata graviora, tum paulo liberalior concedi potest. *Cibi* offerendi sunt tenues, eupepti bonique succi ac temperati, sedulo abstinendum ab acidis, salsis acribusque, ut fructibus horariis aliisque facile corruptibilibus. *Potus* sit cerevisia tenuis, in qua ficus coctæ sunt, vel cui suspensus est sacculus stercore ovillo vel equino refertus, aut in qua subinde incoquitur rasura C. C. *Exercitia Motus & quietis* sint mediocria; quiete attamen potius utendum, quam motu. *Somnus* sit naturalis, attamen sæpissime contingit ut vigiliæ valde torqueant, in tali casu medicamentis, aut illis alimentosis addi potest opiatum aliquod: ordinario in usu est *diascordium addita confect: alchem:* conducit etiam *laudanum liquidum*. *Excreta* secundum naturæ modum procedant. *Animi perturbata* fugiantur, imprimis timor, terror, tristitia & ira. Cumque jam æger è lecto surgit, variolarum exuviis per totum depositis, leni purgatione sordes & materia excrementitia in sanguine visceribusque relicta auferantur, *exhibito syrupo cichor., cum rheo, manna, aut levi senna decocto.*



# COROLLARIA.

I.

*Chylus sub specie chyli adhuc cum sanguine aliquamdiu circulatur.*

II.

*Redit omnis lymphæ a circumferentia ad centrum.*

III.

*Fœtus in utero non respirare videtur.*

IV.

*In Pleuritide vera rectè & quidem revulsions gratia instituitur venæsectio.*

V.

*Dantur Medicamenta electivè purgantia.*

VI.

*Optimum in Apoplexia remedium est venæsectio.*

C

Orna-

Ornatissimo VIRO Juveni  
PETRO MULERIO,

*Cum in Illustri Academia Ultrajectina Medicinæ  
Doctorum Ordini adscriberetur.*



Auriferos mens nostra jubet transcen-  
dere colles

Paucaque vix facili nectere verba  
lyra.

Carmina poscit amor, non carminis auctor A-  
pollo

Nec venit ad cantus pulchra Thalia meos.  
Officio dictante canam; crassumque recuset  
Ingenium, vati sit voluisse fatis.

Pœonias dudum non infeliciter artes  
Excoluit variis mens tua culta modis.

Teque machaoniis juvat inclarescere succis;  
Morborum causas, auxiliumque doces.

Candida siderio veniet ditissima vultu,  
Nympha ferens capiti laurea ferta tuo.

Te canet omne melos, magnoque Academia  
plausu

Provehet, & vester non morietur honos.  
Sit cecinisse fatis, signatque modestia vocem

Jam taceo, facilis non mihi musa favet.

A. D. PLOOS VAN AMSTEL.